



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Metropolis Salisvrgensis**

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarium, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Priuilegium Domini Clementis Papae III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13578**

dignitate careat, reamq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniuitate cognoscat, & à Sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri aliena fiat: atq; in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco justa seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipient, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen. Datae *Aleſiodorj* per manum Gvidonis S. R. E. Diaconi Cardinalis & Cancellarij, Idus Augusti, Indict. X. Incarnati Domini, Anno MCXLVII. Pontificatus Domini Eugenij III. Papæ anno III.

### Priuilegium Domini Clementis Papæ III.

**C**lemens Episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Ratispon. & Frisingen. Episcopis, salutem & Apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum Abbatis & Conuentus de *Aldersbach* in audientia fuit nostra propositum, quod nobilis vir *Albertus de Kam* jus aduocatiæ in monasterio & rebus eorum, licet frater ipsius presentiam illud amiserit, sibi per iniuriam nititur vendicare, cuius occasione eis dampna plurima & iniurias irrogare præsumit. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus si verum est quod asseritur, militem memoratum ab corundem fratrum vexatione indebita compescatis, & vt ablata restituat, pro ut justum fuerit, cum per censuram Ecclesiasticam postposita appellatione compellatis. Datum *Laterani*, VII Idus Iulij, Pontificatus nostri anno primo.

### Priuilegium Dni. Innocentij Papæ III.

**I**nnocentius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis *Ludovice* Abbatii de Alderspach, eiusq; fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam diligentibus apostolicum conuenit adesse præsidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incurfus auctoritate proposito reuocet, aut robur, quod absit, sacræ religions infingat. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium Sanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ, in quo diuino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione iuseipimus, & præsentis scripti Priuilegio communiuimus. In primis siquidem statuentes, vt ordo monasticus qui secundum Deum & Beati Benedicti regulam atq; institutum Cistertiensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus in uolabiliter obseruetur. Præterea qualcunq; possessiones quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum justè & Canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino adipisci poterit, firma vobis vestrisq; successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duimus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Grangiam *Straßze*, Grangiam *Wifling*, Grangiam *Gumprechtingen*, Grangiam *Atzenperge*, Grangiam *Prennebach* & Grangiam *Gneusendorf*, possessiones quas habetis in *Revute*, in *Penzing*, in *Celle*, in *Batricksperge*, in *Kast*e, in *Cirknarn*, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, vsuatiis, & pascuis, in *vosco* & *plano*, in *viis* & *semritis*, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, tam de terris cultis quam incultis, siue de hortis & virgultis, & pisationibus vestris, vel de nutrimentis animaliū vestrorum nullus à vobis decimas exige